

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 33. (*Neovidensis* 1808. Nro. 32.)

*Secretum litterarum Commercio Vivos inter
et vita functos*

Doct̄or Sangrado, ex Campis Elysiis — filio
suo in mundo superiore initiante Medico
secundum Platnerum.

Elysium-Meum.-DieMartis 3. May. 1808. (Neov. 15. Apr. 1808.)

Jam modo Care Fili! eam conditionem tenes, quam *Cel. Molliere* in *Drammate* suo adumbraverat. „*Dignus es intrare in docto nostro Corpore* jam es in optima forma Doct̄or graduatus — exilio tantopere gaudio, ut tumulo exiliendi animum habeam ad prætendendum tibi viam qua itor ad Claritatem, sed mortuus jacet, non fas revocare gradum stigiisque redire ab undis. Scribere nihilominus licet, & id circo scripto te edocebo, ut Doct̄or excellens evadere possis, dummodo scribenti patientem præbeas aurem.

Nihil mæstius juvene initiante Medico usque innotescat, usque nomen ejus inclarescat, & usque fiduciam adipiscatur, multi, multi inquam labuntur & præterlabuntur anni, quos tamen hac mea doctrina, quantum fieri potest, imminuere satagam.

Primum & ante omnia sciscitaberis, an non imaginatione laborans ægrotus urbem incolat; id genus morbidos ubivis regionum reperire est, & tibi, noli dubitare, se offeret,

hunc tibi additum reddere, ejus familiaritatem aucupari, & ubi statum valetudinis & rationem, quam hactenus secutus, medendi tibi revelarit, caput te versare dicereque te oportet: pharmaca non quidem mala esse — verum — ad hoc serium vultum adoptabis, et statum, prout voles, explicabis, idmodi enim Idealistæ quorumvis morborum in mente sua capaces sunt, tum novam ei ægritudinem curandi deteges rationem, aliquid ei præscribes, eum oblectabis, ejusque imaginationem ad hilaria objecta derivabis, & paulo post rectoris se valetudinis opinabitur, tuæque intelligentia animadvertetur.

In quavis domo inveniuntur matronæ cognatæ, quæ in familiam auctoritate pollent, his colloquium gratissimum de morbis, immiscent se arti, & pro quovis malo remedium in numerato est. Apud has basim fortunarum ponendam habes; iis cave, contradicas, cura potius sedulo, ut animos earum suaviter oblectes, cum iis quadrata rotundis sermocinationibus misceas, experientiam earum extolle, & si in plateis, aut alibi forte in eas incidis, præcipue eas alloqueris, manum reverenter adprehendes, basium ei infiges, de valetudine curiose sciscitabere, quibus mediis ubi eas tibi devinxis, fortuna tua peracta est. Celebrabunt, mihi crede atque deprædicabunt dexteritatem tuam, laudes plena vola ubivis in te conjicient, aditum ad primas sedes procurabunt. Anus, dilecte nate! vere coluina & fulera medicæ gloriæ haberi & reputari debent, hæ plurimum tua in-

teresse debent, quippe tubam progressus uberioris hæ sunt, quæ inflant, fortunæ promotrices tuæ.

Dum interes Conventibus familiaribus in quibus nullus medicus, tum sermonem ad artis tuæ argumentum dirige, narrato: quantos ars Machaonia novos processus faciat, declara præsentibus: ut veteres prædici Systemati suo veteri pertinaciter & mordicus inhæreant, ut ab antiquis conceptis opinionibus nec latum unguem recedere velint, ut cum tempore progredi renitentur, ut veteri Crambi immutabiliter addicti sint; subijce dein: hos vel illos præclaros quidem medicos esse, verum — hic abrumpes sermonem eumque modeste, modestissime continebis: irradicata præjudicia raro eliminari queunt; tum domini reduces domum scientiam celebrabunt tuam, quibus aniculæ & venerabiles matronæ assentientur, teque ad astra efferent.

Probabiliter ad vilis conditionis ægrotos vocabere primum, apud hos tentamina institutes artis tuæ, licebitque imperterrite remedia sic dicta heroica applicare. Etenim, ad amicas aures dictum esto: hic experimentorum faciendorum occasio est. *Faciamus experimentum in anima vili*; quod si id genus tentamina prosperum successum habent, ea pugillaribus tuis inscribe, & apud nobiliores dein adhibe, sin successu carent, quantula jactura pauper homuncio, qui mundo utique & hic ei vicissim gravis erat?

Quod si tandem ad illustris Conditionis ægrotum accitus fueris, tum primum roga:

an æger sæpius jam hoc mali genere adfectus fuerit? porro sciscitare: quem medicum habuerit, cujus opera potissimum usus fuerit, sine exhiberi tibi præscriptiones; hæc te ad cognitionem mali deducunt, iis perlectis, qualescunque demum fuerint, Caput in omnem partem versa, novam præscriptionem adorna, & si periculum nullum instare prævides, tum paroxismo maxime fervente compare, dic cognatis: (sub rosa tamen) & vultu ad omnem gravitatem disposito (magnum subversari periculum) Equidem subjunges porro, soli ægro, & occultissime, ne quis audiat, remedium habeo, quod opem certam adferre debet, quo dicto profer ex sinu vestimenti lagunculam, immitte aliquot leniter et parce guttas ex ea in pharmacum ex pharmacopœa allatum, ipse ægro sumendum porrige, et voce ad auctoritatem composita adde: Crastino jam aeger se melius habebit; et reapse cras ubi veneris, aeger doloribus levatus erit; tum quaerent ex te, quid sit, quod felici a te protracta laguncula continetur? tu vero anxio similis responde: Esse arcanum a te multis vigiliis, et meditatione longa delectum, postquam diu multumque morbum examinasses; arcanum vitro inclusum etiam si aqua solum de proximo fonte petita fuerit, parum refert, at perpende, quantum per eam lucrifacias; si aegrotus moriatur, nemini narrare poterit, a te sibi promissum quod infallibili pharmaco eum ad sanitatem reducere velis, et contra vim mortis — nosti cetera — sin casu mor-

Et da poi tra mi	Et dein intra me rideo,
soggigno,	
Che vi sia gente cosi	Darigentem adeo stul-
pazza,	tam,
Che stipendi chi l'a-	Quae solvit Carnici-
mazza.	dam.

Sed manum de tabula: satis haec ad te docendum.

Interim — ita me aesculapius adjuvet! quam mirabilia hic in Elysio feruntur nova; quaeso: an veritate nituntur? ita scribitur

Ulyssipona 25. Martii. Isthinc Deputatio discessit, ad Imperatorem Gallorum salutandum nomine Nationis Portugallicae; constat ea Archi-Episcopo Ulyssipon. M. Inquisitore Regni, Episcopi Coimbricensi, binis Marchionibus ab Abrantes, Marchione Penalva, et Valenca, Comite de Sabuzal, Lima, olim legato ad aulam Parisinam, Vice-Comite de Barba cena, Priore de Aviseo, Mercatore Baram Camp, Senatoribus L. Th. de Silvo Leito et J. A. George.

Hesterno Capitaneus *Magendie*, qui rei maritimae cum imperio praest, in hujate portu in nave lineali *Vasco de Gama 74* tormentorum Supremo Praefecto Gallico *Junot* solennia festa instituit ad quae Russicus etiam Dux *Sinaevin* alique plures officiales militares classiculae illius advocabantur. Sub epulis centum facile dapibus constantibus explosis tormentis pro Napoleonis et Alexandri Imperatorum salute vota amplissima magno animorum aestu nuncupata fusaque sunt,

Articulus ex Danicis Ephemeridibus.

Ad aulae Danicae ab omni partium studio alienum animum in apertam lucem collocandum, aulicae Danicae Ephemerides sequentem Declarationem Juris publici fecerunt:

Holmiae die 18. Martii. Declarationis Sveciae adversus Russiam summa et argumentum: Copiae Russicae Finniam Svecicam invasere primumque nuncium de eo Suae Majestati medio Telegraphi, et paullopost per editam nomine Russiae Imperatoris in memorata provincia Proclamationem allatum est. Hostilitates absque praevia belli declaratione sub directione proditoris olim patriae, cui *Sprengporten* nomen, exordium cepere. Haec res ejus est indolis, cui similia pauca exempla suppetunt. Olim Czarus Russiae vires conjunxit, et fiduciam in Sveciam locavit, ceu vicinum, cognatum, et Imperantem independentem; sua Caesarea Maj. vinculum colligavit, quod eotum necessarium existimavit. — Nunc Rex Sveciae adgressionem patitur, quantumvis ejus foederatus sit. Pace Chronopolit. confecta, Rex theatro belli immansit, et sequenti tempore coactus fuit decedere germanicis provinciis suis, postquam suas cum Russia obligationes fideliter implevisset, et eam navibus bellicis, et armis adjuvisset. — Die 6. Octobris a. p. regi proponebatur: ut Mare Balthicum et ea quidem, quae Anno 1780 obtinuit, ratione claudatur. — Sua Maj. declarabat inter reliqua suam

promptitudinem, medio Tractationum cum
 M. Britannia exoperandi, ut Anglia nullas
 bellicas naves in Balthicum mare expediat,
 usque in Mari Balthico adparatus bellici
 suscipiuntur. Russiam non posse exigere,
 ut Svecia adinstar munimenti adversus
 Angliam serviat, commerciumque, et Clas-
 sem ad *Coroniam* et *Revaliam* defendendam,
 immolet. Id profecto jam foret nimium.
 Praeter Proclamationem ad Incolas Finniae,
 alia insuper ad personas ecclesiasticas, et
 exercitum Svecicum edita est. — Jam esto
 iudicium cuius legitimo regimini, cuique
 strenuo militi, cuius fideli subdito de tali
 agendi ratione. — Clandestina in vicinam pro-
 vinciam irruptio, juncta provocatione ad arma
 corripienda, — hostilis nisus plebem per
 pollicitationem libertatis sibi devinciendi in
 complexu; popule venerande! reges vestri
 toto regiminis sui tempore agriculturam,
 et bene habendi occasionem in ditione ve-
 stra promoverunt, de praesenti rursus vi-
 cinus vos priorum Seculorum squalori red-
 dere minatur. — Gladius ejus vestro verti-
 ci imminet — calamitate bellorum conster-
 natus, at conscientia confirmatus; se cau-
 sam ejus non fuisse, callet rex vester; ani-
 mos vestros constantes, et immutabiles, et
 vestram alacritatem inconcussam usque esse,
 quod suas et foederatorum vires ad vos de-
 fendendosque vindicandosque adhibiturus
 est etc.

Holmiae die 11. Martii 1808.